

## II.

Cessio nominum iure Romano cessionarium tantum constituebat mandatarium in rem propriam, hodie vero dominium nominis in eundem transfert.

## III.

Iudicia divisoria & hereditatis petitio sunt quidem actiones mixtae, quatenus id respicitur, ad quod petendum sunt comparatae, sed eo sensu mixtae actiones dici nequeunt, ut partim ex iure in rem, partim ex iure in personam instituantur, quum divisoria iudicia in personam tantum, hereditatis petitio in rem tantum sint.

## IV.

Suorum & emancipatorum differentia per *Nov. CXVIII* non omnino sublata est.

## V.

Qui nobilitatem germanicam gentilitiam in auitam & diplomaticam diuidunt, in dialecticorum principia impingere videntur.

## VI.

Inter doctissimorum interpretum iuris patrii, quod in *Ordinatione iudicii prouincialis reuisa P. IV. Tit. 5. §. 14. extr.* constitutum est, si electio, quae difficilis est, detur, malim in ampliantium, quam in restringentium partes transire, & matri tutrici alienationem bonorum immobilium haereditariorum, non *quatenus*, sed *quia* in fraudem liberorum ea tendit, denegatam esse statuere.

## VII.

Qui ubi de doli gradu in delictis quaeritur, fines doli directi & indirecti, quos dicunt doctores, ita regundos censent, ut directo dolo agere dicant, qui malum

lum